anno superioris seculi 44. editas, quibus paulò liberius Officia Ciceronis reprehendebat. Continuò id male habuit doctos viros Tullii cultores, ex quibus lac Gryphol9 Romæ apud Aldum, Marcus Antonius Majoragius Mediolani Ciceronis defensionem edidere. At superveniens Nizolius, Cælium quod Ciceronem impugnaret, Majoragium, quod Ciceronem & Aristotelem simul defendi posse putaret, perstringendos sumsit. Scriptum illud Nizolii tum separatim impressum est, tum, titulo defensionum aliquot Ciceronis locorum, editioni Ciceronis officiorum Venetę anno 1554. in folio subnexum est. Ciceronis etiam partes egere Joach. Camerarius & Hier. wolfius, quemadmodum & nuperrimè Clarissimus Sam. Rahelius, illustrandæ morali Ciceronis Philosophiæ laudabili conatu incubuit. Verùm Majoragius carpi se à Nizolio non lacessito indignius quàm pro injuriæ parvitate tulit, stimulante eum Octaviano Ferrario peripatetico celebri & erudito, qui Nizolii æmulus erat, & libertatem illam de Aristotele judicandi concoquere non poterat. Hujus subsidiis fretus Majoragius, scripsit acerbè satis libros duos Reprehensionum contra Marium Nizolium, quibus accessit recusatio omnium eorum, quæ Nizolius in decisionibus ejusdem Majoragii tanquam male posita annotavit. Ita coactus tandem Nizolius re tota ad accuratius Examen revocata edidit hos libros IV. de veris principiis & vera ratione philosophandi, quibus sententias suas à Ferrario & Majoragio reprehensas, antequam satis editæ essent, non publicat tantùm, sed & data operâ justoque Scripto defendit. Majoragii autem sola præfatione, & libri IV. cap. 6. meminit, ubi pugnat Ethica Nicomachea non Aristotelis ad Nicomachum, sed Nicomachi ipsius esse; subducens nimirum sese certamini inutili, & ipsi rei potius explicandæ incumbens. Inscriptio operis hæc est in editione, unde novam hanc expressimus: *Marii Nizolii Brixellensis de veris principiis & vera ratione philosophandi contra Pseudophilosophos libri IV. in quibus statuuntur ferme omnia vera verarum artium & Scientiarum principia, refutatis & rejectis propè omnibus dialecticorum & Metaphysicorum principiis falsis, & præterea refu-*

tantur